

ximus. *Angulos deinceps positos et continentes* s. *continuos* Mathematici distinguunt, eosque nos sumus secuti. Sed quos *deinceps positos* dicimus, hos ipsos quoque Auctor fragmenti incerti, quod olim Censorino tribuebatur, c. 6. *continuos* appellat; *Si recta linea supra rectam stans continuos angulos inter se pares facit, tum uterque ex paribus angulis rectus dicitur, et ea linea graece*  $\alpha\delta\theta\epsilon\tau\omicron\varsigma$ , *latine norma, dicitur.*

In *Psychologia* quoque vocabula nonnulla receptis substituiimus. Quas *completas* et *incompletas ideas* minus latine vocant, eas *plenas* et *absolutas*, eodem sensu diximus. *Species* eas, quae generibus, tanquam partes, subiiciuntur, interdum etiam *formas* appellauimus, secuti Ciceronis auctoritatem. Ita enim ille in *Topicis* c. 7. *In divisione formae sunt, quas graeci ideas vocant, nostri, si qui haec forte tractant, species appellant: non pessime id quidem, sed inutiliter ad mutandos casus in dicendo. Nolim enim, ne si latine quidem dici possit, specierum et speciebus dicere; et saepe his casibus utendum est: at formis et formarum velim. Cum autem utroque verbo idem significetur, commoditatem in dicendo non arbitror negligendam.* Erunt fortasse nonnulli, ex his nouis scribendi magistris scilicet, qui inconstantiae in loquendo ambiguitatique inprimis cauere volunt, qui ita incertam dubiamque *formae* vim effici dicant, si idem verbum aliam in *Geometria,*

metria,